



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

V. Ad personatum parochialis ecclesiae, non nisi subdiaconus debet
admitti, vel supra, nisi ex dispensatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

quæ discretione præmineant, & morum fulgeant honestate. Nolentes itaque sustinere, ut ad preces vel ad instantiam aliquorum, sicut frequenter solet in vestris partibus fieri, parvulis regimen committatur ecclesiarum: fraternitati vestræ, &c. quatenus nemini infra 14. annum constituto, personatum alicuius ecclesiæ aliquorum gratia vel obtentu concedere præsumatis: scituri pro certo, quod si præcepto nostro in hac parte contraire præsumperitis, quod inde feceritis, auctoritate Dei penitus irritabimus, & inobedientiam vestram grauiter puniemus.

CAP. III. *Idem decano & capitulo Sarreberiensi.*

Cum Hugo Bunet in nostra esset constitutus præsens, &c. Et infra: Nos diligentius attendentes, quod pater suus, sicut uterque recognouit, eam habuerit prius, quia perniciosum est exemplo, ut in eamdem quasi iure hereditario ei succederet: considerantes etiam, quod cum ei præbenda concedi debuit, illius ætatis erat, quod curam animalium gerere non potuit: memoratum episcopum, vos etiam & ecclesiam vestram ab ipsius impetione absolvimus, & ei perpetuum exinde imponimus silentium.

CAP. IV. *Idem.*

Distinct. p.
Ante trien-
nium.

A nobis tua discretio requisuit, vtrum is cui ante 15. annum ætatis suæ nondum Concilio quod, nuper Laterani fecimus, celebrato, ecclesiæ magisterium concessum fuit, occasione decreti, quo in Concilio eodem clericis minoris ætatis conferri ecclesiæ prohibuimus, poslit ecclesia spoliari, quam ante Concilium obtainuerat, præfertim cum ipsa concessio fuerit ab ipso diœcesano episcopo post Concilium approbata. Super quo consultationi tñ taliter respondemus, quod nisi alia causa rationabiliter obstat, occasione minoris ætatis aut decreti, quod in Concilio promulgauimus, nolumus eum a percepto ante beneficio remoueri.

CAP. V. *Idem * Lexonienſi episcopo.*

Præterea licet aliquis ad personatum parochialis ecclesiæ non debeat, nisi subdiaconus ad minus, admitti vel recipi, dispensatiue tamen in minoribus ordinibus

ANNO CHRISTI 1179. constituti, consueuerunt admitti: dummodo tales sint,
qui infra breve tempus subdiaconatum, vel diaconatum
recipere possint.

DE DEPOSITIONE CLERICORVM, PARS XXVI.
ET DISPOSITIONE CIRCA EOS DEM.

CAP. I.

Ex literarum tuarum tenore perpendimus, quod quidam longa ægritudine confectus, cepit consilium a fortilegis mulieribus, quod si sanari vellet, se permitteret iterum baptizari. Qui insano credens consilio, ut sanatur, iniuriam fecit per iterationem sacramento. Adstitit autem huic sacrilegio adolescens bona, ut videtur, indolis acolytus, frater carnalis illius, in quo baptismus afferitur iteratus, & ministerium exhibuit in respondendo presbytero baptizanti, & cooperator extitit rei nefandæ. Quia ergo nos tua duxit prudentia consulendos, qualiter puniri debeat vel purgari acolytus quem minor ætas & intentio fraternalis salutis corporeæ aliquantulum excusare videatur: dilectioni tuae præsentibus literis respondemus, quod quamuis non multum videatur propterea plectendus, ad superiores tamen ordines promoueri, si publicum est quod proponitur, non valebit, nisi ad religionem transire voluerit, ut fauore illius religionis circa eum debeat dispensari. Si vero occultum est, promoueri poterit, & excessum suum dignis poenitentia fructibus expiare.

CAP. II.

Idem abbatи & fratribus Trium fontium.

*frater-
nitas
*f. qui
Consuluit nos tua * deuotio super quodam confratre vestro, * quod cum esset in sæculo, & quinque solidos pro ordinatione dedisset, statim postquam delicti quantitatem cognouit, poenitentia ductus religioni se contulit. Nos igitur quæstioni vestræ satisfacere cupientes, vobis præsentibus literis significamus, quod ordine suscepto carere meruit, nec ad superiores promoueri potest. Verum tamen in ordinibus quos prius suscepit, Domino poterit deseruire.